



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Imperatrices Occidentis Sanctimoniales factæ, sed non sanctæ. cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

meritum, in Abbatissam eligi promeruit, atque post mortem sanctorum agminibus coniungi. *Albertus abb. Stadenfis in chronico ad annum 1093. Ioannes Tritt. Abbas in chronico Hirsauzie, Carolus Signius de regno Italia lib. 9. ad annum 1093. & alii.*

Imperatrices Occidentis Sanctimoniales factæ, sed non Sanctæ. Cap. IIII.

Juditha, Ludouici Pij Imp. vxor.



IUDITHA, Vuolfonis Comitis Altorfensis filia, & Ludouici Pij Imperatoris uxor tertia, ab eo ob consanguinitatis affinitatem iussu Gregorii Papæ III. separata, Ambianis primum, deinde Landuni in monasterio s. Mariæ, tertio in s. Cruce, monasterio s. Radegundis Pictauis, uitam cœnobialem professâ anno Domini 830. sed inde semper a uiro extracta: ad extremum Tortonæ in Italia, eam, quam iam tertio professâ fuerat uitam subire coacta anno 834. ibidem tranquille postea uitam finiit, anno 847. suæ conuersionis terdecimo. *Ioan. Trithemius Abbas in chron. Hirs. Vignierius in chron. Burgundis ad annos 830. & 833. Crantzius Saxonis lib. 2. c. 25. Belforestius annal. Franc. lib. 2. c. 34. & alii permulti.*

Angelpirga, S. Lotharii I. Imp.

ANGELPIRGA, sue, ut Nicolaus Clemens habet, Edilla, uel Egidda, Etheluuolphi Angliæ Regis filia, & S. Lotharii I. Imperatoris, vxor prima, cum nescio quam ob causam ab ipso repudium passa fuisset, ad monasterium S. Iuliæ Brixie se transtulit anno Domini circiter 820. ibidemque Sanctimonialis habitu induta, non longe post ad Dominum migravit. *Tabula monasterii S. Iuliæ, a Brixia ad me transmissa.*

Hermingarda, S. Lotharii I. Imp.

HERMINGARDA, Hugonis Saxonie Comitis filia, atque eiusdem S. Lotharii I. Imperatoris vxor secunda, uiri sui, qui monachi decreuerat propositum imitata, in eodem s. Iuliæ cœnobio amplexata est Christam, anno Domini circiter 848. uel 850. continentis uelum habitumque suscipiens, in quo ita conuersationem suam instituit, ut digna fuerit ab Amalperga, Abbatissa quarta Sanctæ Iuliæ, in coadiutricem assumi. *Tabula monasterii S. Iuliæ, Vaila,*

Villa, Berengarii II. Imp.

VILLA, Bosonis Marchionis Tusciae filia, ac Berengarii II. Imperatoris Italiae vxor, post eius mortē, Baniberga, ubi ipse obiit, monasticam uitam professā est, circa annum Domini, 965. *loannes Trutemius in chronico Hirsaugie & aly.*

Angilberga, Ludouici II. Imp.

ANGILBERGA, Ludouici Germaniae Regis filia, ac Ludouici II. Imperatoris uxor, ab ipso repudiata, Placentiae monasterium in honorem Sanctae Resurrectionis, anno 852. construxit, & in eo usque ad uiri sui mortem, quae contigit anno 875. ieiunio & orationibus intenta permansit, omnia prius perpeti parata, quam fieri semel marito promissam fallere. Audita autem uiri sui morte, protinus Imperialibus vestib. exuta, monachales induit, & ibi illis adeo profecit ut biennio post in communem Sanctimonialium matrem fuerit electa, quibus tertio loco praefuit, & post nouennium, anno 886. a Monialibus S. Iuliae Brixiae ascita, ut Amalperga Abbatisse quaeque succederet, libenter annuit, & utrumque coenobium, Placentinum, uidelicet, ac Brixienſe, summa cum uigilantia gubernauit usque ad annum Domini 915. quo uiam uniuersae carnis ingressa, pro reportato talento, lucrum perennitatis acquisiuit.

ANNO TATIO.

Vocatur haec ab Aimonio monacho, lib. 5. c. 28. Engilberga; a Leone Ostiensi in chron. Caslib. l. c. 3. Angelberta; & a Joanne Papa VIII. in suis epistolis, nunc Engilberga, nunc uero Angelberga; cuius ad eam extant epistolae, uidelicet 43. cuius tit. est, Engilberga Christo dicata; 83. & 86. talis tit. Dilecta ac spirituali filia Angelbergae, ex Imperatrice Deo dicata; 91. 92. & 204. Agit & de eadem, deque monasterio ab ea constructo sub Regula S. P. Benedicti, in epistolis, 165. ad Lintbesfridum comitem; 258. ad Eunibertum Comitem; & 239. ad Gisulfum Abbatem, & pluribus alijs. Eiusdem, simul & monachatus in coenobio Placentino, meminerunt, Petrus de ripa alta; in annalibus Placentinis, & D. Felix Passarus monachus Casinensis, in libello de situ, laudibus, & prerogatiuis monasterii S. Sixti Placentiae. De translatione uero eius, ad Abbatiam S. Iuliae Brixiae, agunt Tabulae eiusdem monasterii MSS. ad me transmissae, a quibus quinta eius loci Abbatissa cognoscitur. Reliquae de eadem, & erumnae, cum exilio, quas passa est a Carolo Imperatore III. uideantur in epistolis eiusdem Joannis VIII. Papae.

Impe-